871
V5lo.Yr

RITSCHL

DE VARRONIS LOGISTORICIS

571
1560 Yo

Rebdell

INDEX SCHOLARVM

AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

FRIDERICI GVILELMI IIII.

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES HIBERNOS A. CIƆIƆCCCXXXXV ET XXXXVI.

A DIE XV. M. OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABENDARVM.

De Varronis logistoricis.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII.

871
V52o.Yn
Classics

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

RECTOR ET SENATVS

COMMILITONIBVS

S.

Inter praeclara ingenii et eruditionis Varronianae monumenta, quae temporum iniuria nobis invidit, re quadam singulari duorum genera librorum eminent: eorum, quibus non simplicia, sed gemina nomina pro indicibus indita sunt h. e. satirarum et logistoricorum librorum. Rursum inter utrosque indices magna consilii constantia hoc intercedit discriminis, quod binorum satirae cuiusque nominum alterum esse graecum solet, latinum alterum, singuli autem libri logistorici binis nominibus latinis appellati sunt. Et de satiris quidem nunc disputare nihil attinet, nec paucas haec disputatio vel cautiones vel dubitationes habet: tantum facile apparet, nullos illarum indices ad vivos homines pertinere. Quod contra logistoricorum unum nomen ductum est a re, alterum a persona, et eius quidem persona, cui liber quisque dedicatus est: in quo genere tenendum, non gentilicium nomen, sed propemodum constanter cognomen idque solum inscribi. Dedicavit autem scriptor tali homini, cum cuius indole factisque aliquo societatis vinculo rei tractatae argumentum contineretur. Praeterea consentaneum est aliquo vel amicitiae vel familiaritatis vel reverentiae vinculo ipsum Varronem et illos coniunctos fuisse, quibus honorifica nominis inscriptione gratificaretur vel studium testificaretur suum. Quodsi Varronis horum aequalium et familiarium tempora inquisierimus, effici videtur circa finem septimi saeculi octavique initio scriptos esse libros logistoricos: nec enim intra paucorum annorum spatium scriptos esse omnes oportet. Argumenta autem partim de ethico genere, partim de historico petita sunt. Sermonesne colloquentium esse Varro voluerit an

suas ipsius continuas disputationes, non satis liquet. Sed unum logistoricum pluribus potuisse libris distribui, uno vix ambiguo exemplo intelligitur.

Paucis rei summam universae complexi sumus. Nam quae posuimus omnia non tam certis planisque testimoniis declarantur, quam e promiscuis ac saepe tenuibus vestigiis invicem inter se collatis colliguntur, sed ut tamen, quod aliquot exemplis plene et evidenter apparet, non iniuria etiam ad ea traduci videatur, de quibus memoriae fide ex parte tantum constat. Ac geminae inscriptionis consilium ipsumque logistoricorum nomen haec testantur, quae infra scripsimus cum iis testimoniis composita, quibus pleni tituli quique compendifacti prodeunt.

I. Gellius IV, 19: *M. Varro in logistorico qui inscriptus est Catus aut de liberis educandis.* Idem XX, 11: *in logistorico M. Varronis qui inscribitur Catus.* Nonius septies et tricesies: *Varro Cato vel de liberis educandis.* Hinc emendandus Macrobius Sat. III, 6: *meminit huius arae et Cato de liberis educandis:* cuius libri prorsus solitaria memoria. Scribendum esse *et Varro Cato de l. e.* vidit Krahnerus de Varr. antiq. p. 11.

II. Probus in Virg. Bucol. VI, 31 p. 354 Lion.: *Varro in logistorico quem inscripsit Messala de valitudine.*

III. Idem ibidem: *Varro in logistorico qui inscribitur Tubero de origine humana.* Censorinus de die nat. c. 9: *Varroni . . . in libro qui vocatur Tubero et intus inscribitur de origine humana.*

IV. Idem a Duebnero nuper editus in diariis Parisinis „Revue de philologie, de littérature et d'histoire anciennes“ fasc. I, p. 23: *Varro in logistorico qui inscribitur Curio de deorum cultu.* Augustinus de civ. dei VII, 9: *Varro in eo libro quem seorsum ab istis* [h. e. Rerum divinarum] *de cultu deorum scripsit.* Ibid. c. 34: *apud eundem Varronem in libro de cultu deorum.*

V. Macrobius Sat. III, 14: *Varro in logistorico qui inscribitur Marius de fortuna.* Schol. Veron. in Virg. Aen. VII, 681: *Varro . . . libro qui inscribitur Marius aut de fortuna.*

Ex his exemplis sat certa videtur coniectura de iis fieri, quibus suppresso *logistoricorum* nomine *libri* tantum binomines commemorantur, plane ut a Censorino factum in Log. III, et a Virgiliano interprete in V. Quibus statim illa iungimus, cum etiam brevius nec *logistoricus* nec *liber* dicitur, sed ipsa gemina inscriptio ponitur ad similitudinem Nonii in Log. I.

VI. Censorinus de die nat. cap. 2: *Varro in eo libro cui titulus est Atticus et est* [f. *et intus* coll. Log. III] *de numeris.* Quanquam de hoc argumento ut valde

dubitemus faciant quae sequuntur: *id moris institutique maiores nostri tenuerunt, ut, cum die natali munus annale genio solverent, manum a caede ac sanguine abstinerent* c. q. s. Quibus verbis multo convenientiorem esse apparet Aldinae scripturam *de muneribus*, sive ea e codicibus petita est sive coniectura inventa. Sed Ausonius Popma quod voluit *articulus* pro *Atticus*, eo nihil perversius. — Non autem huc pertinet Augustini qui falso fertur testimonium, de grammatica p. 2008, 47 Putsch.: *Varro in libris numerorum:* ubi etsi corrigendum esse *libro* putamus, tamen non logistoricum dici, sed unum e Disciplinarum libris Varronianis, alibi demonstrabimus.

VII. Gellius XIII, 4: *in libro Varronis qui inscriptus est Orestes vel de insania.*

VIII. Idem XVII, 18: *M. Varro in libro quem inscripsit Pius aut de pace.*

IX. Idem XVI, 9: *M. Varro in Sisenna vel de historia.*

X. Nonius p. 12, 22: *Varro Pappo aut [de] indige[ntia].* Sic enim librorum mss. vestigia haud paullo probabilius supplere videmur quam cum Ausonio Popma *de indigitamentis.*

XI. Servius in Georg. I, 19: *Varro de scenicis originibus vel in Scauro.* — Charisius p. 67, 20: *Varro de bibliothecis dicens glutine . . .: sed et glutinum in Scauro.* Idem p. 106, 19: *Varro in Scauro, glutinum, inquit, ferunt Daedalum invenisse.* Idem p. 82, 30: *Varro autem in Scauro palumbi dicit.* — Charisius p. 61, 13: *Varro de scenicis originibus.* Idem p. 83, 25: *Varro de scenicis originibus I. et III.* Idem p. 103, 27 et Censorinus c. 17: *Varro de scenicis originibus lib. I.* Charisius p. 96, 32: *Varro de originibus scenicis secundo.* Nonius p. 196, 8: *Varro de scenicis originibus lib. III.*

XII. Macrobius Sat. III, 11: *Varro in libro qui inscribitur Gallus de admirandis.* Nonius p. 71, 26: *Varro Gallo vel Fundanio de admirandis rebus.* Idem p. 217, 1: *Varro Gallo vel Fundanio de miris.* — Nonius p. 205, 30: *Varro Gallo aut Fundanio**). Priscianus VII, p. 759, 7 Putsch.: *Varro in Fundanio.* — Servius Burm. et Philargyrius in Georg. III, 113: *Varro in libro qui Admirabilium (Mirabilium) inscribitur.* Nonius p. 218, 18 (220, 11) et Charisius p. 55, 34. 64, 13. 69, 37. 106, 15 cum Incerto de orthogr. p. 2791, 47 Putsch., item Arnobius adv. gent. VI, 2: *Varro in Admirandis.* — Vnus igitur Nonius, de cuius in afferendis titulis negligentia aliis quoque exemplis constat (cf. Parerg. Plaut.

---

*) Vides nullo prorsus discrimine et *vel* et *aut* particulae locum dari in hoc genere: ut nimium ei rei tribuisse videamur Parerg. I, p. 167.

I, p. XIV sq.), perverso loco disiunctiva particula intrusa gemina nomina imperite divulsit.

Ab his exemplis (XI. XII), quibus alterutra pars gemini indicis omittitur, sive a sola persona facta appellatio relicta est sive a re ducta (ut etiam Log. IV), rursum proficisci licet, ut ad logistoricos item simplicia librorum nomina haec referamus.

XIII. Priscianus X, p. 887, 34 P. et Diomedes p. 365, 9: *Varro in Laterensi.*

XIV. Charisius p. 44, 7: *Varro in Nepote.*

XV. Servius in Aen. IX, 53: *Varro in Caleno.*

XVI. Macrobius de diff. et soc. verb. p. 2763, 15 Putsch.: *Varro in Scaevola.* Vulgatur *in Scaevolam:* accusativo, ut apparet, e proximis orto *Cicero in Verrem.* — Nec tamen audemus ad eandem normam revocare Incerti de gener. nomin. p. 99, 16 verba: *simpulum generis neutri, ut Varro in Neronem.* Pro hoc enim rectius *ad Neronem* Hauptium suasisse, ex his intelligitur quae subiecimus testimonia. Charisii p. 105, 14: *Varro ad Neronem.* Nonii p. 26, 14 et 167, 24: *Varro epistula ad Varronem,* quorum priore *Verronem* est in quibusdam libris, utroque *Neronem* scribi iussum a Popma. Etiam apud Donatum in Eunuch. IV, 3, 7 peccatum est Varro *in Marcellum* pro *ad Marcellum:* quo tamen non epistula, sed libri *de sermone latino* (sive *de lingua latina*) *ad Marcellum* significantur. Eadem enim brevitate cum alii tum Servius in Aen. I, 43 et Georg. I, 11, Diomedes I, p. 377, Lactantius de opif. dei c. 5 *Varro* inquiunt *ad Ciceronem* i. e. *de lingua latina ad Ciceronem:* ut mittam plurima eiusdem generis exempla addito libri numero magis etiam manifesta. Similisque ratio illius est tituli, quem ex Favorino Macrobius Sat. II, 14 memorat: *Varro ad Libonem primo* (h. e. ad L. Scribonium Libonem socerum Sexti Pompeii, ut recte Schneiderus de vit. et scr. p. 228): qui liber nescimus in quo argumento versatus sit.

XVII. Macrobius Sat. III, 8: *Varro de moribus:* si modo in ea scriptura codices consentiunt nec *moribus* erratum est pro *muneribus.*

XVIII. Servius in Aen. IV, 45: *Varro de pudicitia.* Nisi forte vel hic vel praecedens titulus cum eorum aliquo nominum iunctus fuit, quibus Log. XIII—XVI inscripti sunt.

Nam de talibus argumentis (XVII. XVIII), quae petita sunt e disciplina morum, nec probari potest nec veri est simile libris singularibus Varronem, praeter hos ipsos logistoricos, exposuisse. Contra fieri facile potest, ut eorum quidam, qui cum in aliis locis communibus (etiam in genere historico) versentur, fere pro peculiaribus habentur, fuerint in logistoricorum numero. Velut quem ex Augustini de civ. dei XIX init.

novimus Varronis *de philosophia* librum, ab illorum similitudine profecto non magis abhorret quam qui fuit *de historia*, ab Augustino autem omissa altera inscriptionis parte pariter commemorari potuit atque *de cultu deorum* ille. Sed *de rerum natura* quod logistoricum esse cum Popma Fabricius Bibl. lat. I, p. 130 voluit, fraudi ei fuit Nonii mendum p. 477, ubi *de re rustica lib. I.* recte Lipsius restituit. *De mensuris* autem, ne quid de hoc simile suspicere, non magis fuit logistoricus inscriptus quam *de numeris:* quod item alio loco quale sit explanabitur. Omninoque nimius fuit Mercerus in Nonium sic commentatus p. 776: *Varronis libri omnes logistorici aut Menippeae, exceptis illis operibus iustis et magnis, Antiquitatum, de re rustica, de lingua latina, et si quae eiusmodi* (ut Disciplinarum, de sermone latino). Praeter cetera autem illud in hoc genere tenendum est, ampliorum commentariorum, h. e. *πολυβίβλων*, non raro singulos libros singulari indice notari: cuius rei exemplis iam ab aliis propositis nova quaedam addi posse putamus. Quae omnia diligenter reputata faciunt ut in enumeratis supra logistoricis subsistamus ac ne coniectura quidem ultra illorum fines evagemur. Barthiana enim commenta Adversar. VI, 6 ne digna quidem hodie quae explicatius refellantur.

Sequitur ut de inscriptis hominum nominibus breviter disputetur: sed breviter ut in re aperta, quam suo quisque labore persequi accuratius poterit. Apparet autem cognominibus Romanis Varronem magna consilii constantia usum esse: ut nec de Atellanarum persona *Pappo* (cum Popma) nec de furiis agitato *Oreste* cogitandum sit. Immo Orestes est ille aut Cn. Aufidius Orestes Aurelianus cos. a 682, aut fortasse unus e gente L. Aurelii Orestae cos. a 650. Pappi autem etsi Varronis aetate nulli memorantur, tamen V. et VI. saeculo V. C. nec pauci nec ignobiles in gente Aemilia exstitere, de quibus cum alii tum Livius prodiderunt: quorum e posteris quid est cur non potuerit familiaris esse Varronis? ut mittamus Sosium Pappum Hadriani Imp. amicum. Soli a reliquorum similitudine recedunt Marius et Gallus Fundanius logistorici. Quorum illud exemplum tantum abest ut propositam normam labefactet, ut confirmet potius: quando homo novus de plebe C. Marius carebat cognomine. *Gallus* autem cognomini cur gentilicium Varro iunxerit, non est difficile ad divinandum. Tot enim gentium Romanarum Galli fuerunt et ex parte clarissimi illis temporibus, velut Aeliae, Aquiliae, Asiniae, Caniniae, Corneliae, Fadiae, Plotiae, Rosciae, Sestiae, ut ad quemvis horum potius, quam ad obscuriorem aliquem Fundanium visa esset logistorici inscriptio spectare, nisi errorem ipse scriptor cavisset. Idque eum honoris caussa fecisse eo esse credibilius putamus, quo probabilius *Fundanium* illum videmur cum Schneidero de Varr. vit. et scr. p. 217 sq. ipsius socerum Varronis interpretari: de cuius cognomine nihil proditum est memoriae. Huic igitur, nisi fallimur, gratificari gener voluit, librum ei inscribens quo

etiam indoctior senex et ab humanitatis studiis fortasse alienior facile delectaretur, de mirabili natura stagnorum, fontium, locorum, aliarumque rerum *admirandis:* id quod e fragmentis recte collegit Krahnerus de Varr. antiq. p. 15. Sibi tamen ut quantum posset constaret, non *Fundanium Gallum,* sed *Gallum Fundanium* Varro inscripsit: quem verum esse nominum ordinem vel corrupta Nonii testimonia monstrant. Nostram autem sententiam qui sequetur, non opus habebit de duobus logistoricis suspicari duorum nominibus Gallorum inscriptis: qui ut commode inter se discernerentur, facile quispiam putet ipsis ascriptis cognominibus prospectum esse.

Vel hoc exemplo intelligitur, aliquo vinculo argumentum cuiusque logistorici cum inscripti hominis persona, indole, moribus factisve contineri: idem autem per alia quoque exempla persequi licebit. Et *Marii* quidem nomine quam apte *de fortuna* liber sit inscriptus, res ipsa loquitur. Quanquam minime necesse est ad ipsum C. Marium septies consulem scriptus sit, id quod apertis de caussis adeo abhorret a veri similitudine; ne ad filium quidem illius Marii scriptum crediderim, qui iam a. 671 mortem obiit; sed quicunque fuit ex illius propinquis natu aliquanto minoribus (fortasse ipse ille Pseudomarius C. F. C. N. de quo saepe Cicero), non potuit ei non grata atque honorifica ea inscriptio esse, cuius sane propria vis ad maiorum gloriam potius quam ad ipsius res pertineret. — Non magis caussa latet, cur Sisennae librum *de historia* Varro dicaverit: nec enim dubitandum quin ille clarus rerum scriptor cogitandus sit L. Cornelius Sisenna, doctus vir et studiis optimis deditus, mortuus a. 686: de quo breviter dictum Parergon I, p. 376 sq. — Item ad Pium quam apte logistoricum *de pace* rettulerit, commode intelliges ubi Q. Caecilium Metellum Pium filium Numidici, cos. a. 673, memineris *hominem sanctissimum modestissimumque omnium* Ciceroni dici pro Arch. c. 4, vel *virum sanctissimum et summa religione ac modestia* pro Balb. c. 22, ut mittamus alia. Ex hoc logistorico quae excerpsit Gellius XVII, 18: *M. Varro, in litteris atque vita fide homo multa et gravis, in libro quem scripsit Pius aut de pace C. Salustium scriptorem seriae illius et severae orationis, in cuius historia notationes censorias fieri [atque exerceri] videmus, in adulterio deprensum ab Annio Milone loris bene caesum dicit, et cum dedisset pecuniam, dimissum:* haec igitur valde subtili sed eadem non improbabili coniectura Ausonius Popma coniunxit cum eo fragmento Salustiano apud Macrob. Sat. II, 9, quo is scriptor effusissimae luxuriae superbiam ipsi Metello Pio exprobravit. Vt ab ea hunc criminatione Varro defendisse in *Pio* logistorico videatur. Quod si ita se habuit, quoniam aliquantum temporis inter mortem Metelli et historiarum editionem Salustii interpositum est, hunc quoque librum Varro non ad eum scripsit, ad quem maxime spectare argumentum voluit, sed ad aliquem e propinquis, filium fortasse adoptatum Q. Cae-

cilium Metellum Scipionem cos. a. 701, cui item cognomen fuit Pio. — Sed graviter idem ille Popma fallitur de Messala, quem esse M. Valerium Messalam coniecit, qui omni tempore aetatis firma usus *valetudine* ad centesimum annum vitam produxerit testibus Plinio N. H. VII, 49 et Valerio Max. VIII, 15. Verum hi quidem de Valerio Corvo loquuntur: logistoricum suum Varro aut M. Valerio Messalae Nigro cos. a. 692 inscripsit, aut ei M. Valerio Messalae qui ad consulatum a. 700 pervenit. Quem etsi suspicari licet, non tamen scitur firmitate valetudinis excelluisse. — Longe autem planissimo documento id quod volumus eo logistorico probatur qui fuit de *scenicis originibus*. Eum enim dubitari nequit quin Scauro Varro inscripserit propter insignem ludorum, in his scenicorum, magnificentiam ab M. Aemilio Scauro aedile a. 695 editorum: de qua ludorum opulentia vide scriptorum testimonia a Schuberto congesta de Rom. aedil. p. 419. Mirum in modum a vero Popma aberravit, egisse Varronem in Scauro, cuius alteram inscriptionem ignorabat, de aedificiis coniiciens. Hunc autem logistoricum praeter reliquorum similitudinem non uno fuisse, sed pluribus libris comprehensum (tribus ut videtur), non possunt profecto non persuadere supra composita Servii, Charisii, Censorini testimonia, prorsus ea ita comparata ut, si quid in hoc genere similium comparatio valet, uno exemplo servatum plenum indicem appareat aliis locis per partes suas discerptum articulatim commemorari, promiscue modo a nomine modo a re facta appellatione. Quae inconstantia quod hoc exemplo in unum eundemque scriptorem cadit Charisium, id levioris esse momenti in eo grammatico apparet, qui non suae lectioni prolata testimonia debeat, sed ab antiquioribus magistris accepta qualia repperisset servarit. Tantum facile concedi putamus, multo longius a probabilitate illud recedere, ut et singularem librum de scenicis originibus fecisse et iterum de scenicis originibus ne indice quidem variato tribus libris exposuisse Varro existimetur *). Nec mediocriter πολυβίβλου logistorici offensio lenitur unius satirae

---

*) Ceterum quod *de scenicis originibus* libros Varronem nescio quis nuper dixit ad *Διδασκαλικῶν* Graecorum similitudinem composuisse, id non magis considerate dictum est quam quod Schneiderus comm. de Varr. vit. et script. p. 238 eiusdem librum (immo libros) *de poetis* ad *Διδασκαλιῶν* imitationem factum putabat. Cum hoc enim Graecorum instituto recte conferri illi tantum libri possunt, qui fuerunt *de actionibus scenicis:* de quibus dictum Parerg. I, p. 179 sq. 320 sq. Horum autem paucis fragmentis e Charisio Priscianoque pridem collectis novum accessit ex Hauptii grammatico de gener. nom. p. 98: *Scabillum generis neutri, sicut scamnum, ut Varro in actionibus scenicis.* Aliud fortasse e Probo p. 1476 P. addendum: *sinciput, sincipitis, Varro posuit in Actia:* quas litteras qui nobiscum ex integro *actio*[*nibus*] vocabulo relictas credet, non habebit certe cur nupero editori suum illud *in Aetia* invideat. Sed de iisdem libris nisi fallimur C. Lachmannus cogitavit, praef. in Terent. Maur. p. XV Atilii Fortunatiani p. 2676 P. 319 G. haec verba ponens a semet quidem correcta: *ex quo non est mirandum quod Varro in scenodidascalico Phalaecion metrum Ionicum trimetrum appellat, quidam Ionicum minorem.* Nam singularem librum sic inscriptum edidisse Varronem, id vero probabile nec suapte natura est nec fit ullo indicio. Quod enim fuisse argumentum putabimus, diversum quidem

comparatione, quae item sola in longe adeo maiore *μονοβίβλων* satirarum multitudine duobus fuit libris divisa, ter quidem illa ab Nonio sic commemorata *Varro Periplu lib. II.* p. 171. 192. 316. Ac fortasse (quanquam hoc modeste proferendum) etiam logistorici bipertiti alterum quoddam exemplum in eiusdem Nonii p. 195 verbis latet: *Varro Caei lib. II.* E quo satirae titulum Ἀεὶ Λιβύῃ Scaliger effecit ingeniosissima sed audacula coniectura: lenius videmur una littera mutata *Cati lib. II.* eruere h. e. *Cati vel de liberis educandis.* Nisi quod dubitationem illud movet, quod in allatis ex eo libro verbis vestigia apparere numerorum videntur h. e. unius et dimidii hexametri. Quanquam hoc ipsum satis esse incertum sentimus.

Quod tam plane et evidenter aliquot exemplis apparuit, id dubitari vix potest quin latius pateat et ad ea quoque pertinuerit, quorum nunc latet ratio. Nam quid necessitudinis intercesserit inter Catum et liberorum educationem, Tuberonem et originis humanae disceptationem, Curionem et deorum cultum, Atticum et munerum notionem, Pappum et indigentiae, Orestem et insaniae, eo profecto incertius, quod ne qui fuerint quidem de omnibus constat. Non sane inepte suspiceris egenum fuisse Pappum, pietate erga deos insignem Curionem: sed tamen nec laus magna talium coniecturarum nec fides. Et Oresti quis sibi persuadeat de insania librum dicatum esse honorifica voluntatis testificatione, quod in illius indolem aliquo modo notio insaniae caderet? De quo quidem exemplo sic potius statuendum videtur, aliqua sane in caussa, cur ad Romanum Orestem de tali argumento Varro scriberet, cognominis cogitationem herois fuisse. Praeterea adventicia esse leviorum rerum varia occasio potuit: id quod adeo monstrare certo exemplo licet. Namque cum logistoricum, e quo uberior quam e reliquis superest fragmentorum copia,

---

illud ab *actionum scenicarum* libris? Hos autem si quis miretur non Graeco more *didascalicos* simpliciter, sed insolenter facto nomine *scenodidascalicos* dictos: ei quidem mirationi facile quispiam ita occurrat, ut opponi aliorum, velut Attii *Didascalicis* coniiciat, quibus cum promiscue de omni genere poesis poetarumque actum esset, ad unam scenicam suos voluisse libros Varronem pertinere. Esto: sed ita quomodo usui convenienter singulari numero dici *in scenodidascalico* de quinque minimum libris potuerit, non magis assequimur si pro neutro quam si pro masculino habueris. At vero absurdam Lachmannus dixit Putschii (h. e. codicum) scripturam *in cynodidascalico.* Hac quidem forma, recte. Verum exigua admissa mutatione sat probabilis prodibit satirae index: *in cynodidascalo*, commode ille conferendus cum *gerontodidascalo* vicies a Nonio commemorata: nisi quod graecis potius litteris *Κυνοδιδάσκαλος* et *Γεροντοδιδάσκαλος* scribendum. In satira autem tractari quidvis potuit: ut ne metrica quidem quicquam caussae sit cur tangi potuisse neges. Quae multo difficilius intelligimus quomodo locum habere vel in *actionibus scenicis* potuerint vel in diverso ab illis *scenodidascalico* aliquo. Ceterum a *κύων* nomine alius quoque satirae index compositus est *Κυνορήτωρ*, cuius unus Diomedes I, p. 364 memoriam servavit. Contra nihili est quod apud Philargyrium in Georg. II, 477 nomen exstat *Varro in Cynistore*, pro quo in satirarum titulis Popma rettulit „*Synistor.*“ Verum quae e scriptis libris afferuntur *in cynistro re* et *in cyniflore*, ea vix falli videmur cum in hanc potius partem interpretamur: *Varro in Ciniflone.*

qui est *de liberis educandis*, ad Catum Varro scripsit propterea, quod de eo ipso argumento Varronis ille sententiam exquisiverat sibique ut consiliorum adiutor esset rogaverat. Intelligitur enim hoc ex iis verbis a Nonio proditis p. 77, quibus Catum apparet in ipso libri exordio a Varrone compellatum esse: *Varro Cato vel de liberis educandis: quod petisti ut eius educationis fierem tibi socius, quoad potui adminiculavi tuam voluntatem scribendo.* Sed is quidem Catus quis fuerit, incompertum nobis. Nisi quod praeter Aeliam gentem Catos nullos exstitisse novimus, prisci autem Sex. Aelii Paeti Cati genus tum non exstinctum fuisse hinc discimus, quod anni 756 consulem fasti produnt Sex. Aelium Q. F. Catum. Ceterum inveteratum eorum errorem, qui perperam interpretati hanc testimoniorum formam »*Cato vel de lib. educ.*« ad aliquem Catonem, immo ad ipsum Censorium hunc logistoricum rettulerunt, satis est hodie leviter perstrinxisse. Qui error (geminus ille eius quo Catonis de liberis educandis liber prodiit apud Macrobium) ad Gellii quoque librarios (IV, 19) pertinuit, quo uno loco etiam bonos codices *Cato* nominativus occupavit. — Curio autem Varronianus aut est C. Scribonius pater cos. 677, mortuus a. 700, aut C. Scribonius filius tribunus a. 704, a Iuba rege interfectus: de quorum rebus recte distinguens scholiasta Bobiensis dixit ad orat. in Clod. p. 330 Or. Ad patrem ut logistoricum de cultu deorum lubentius referamus, virum bonum et oratorem sed parum a doctrina instructum, cum alia nos movent, tum illud quod pontificem maximum fuisse cognoscitur ex orat. de harusp. resp. c. 6. — De Tuberone controversia esse nequit, quin is sit L. Aelius Tubero, quem novimus M. Ciceronis et condiscipulum et contubernalem et affinem et familiarem, Q. Ciceronis in Asia a. 693 legatum: *hominem cum ingenio tum doctrina excellentem*, ut est pro Ligar. c. 4, cui etiam Aenesidemus λόγους Πυῤῥωνίους suos inscripsit teste Photio Bibl. cod. 212. — Atticum unusquisque sua sponte intelligit communem esse Varronis Ciceronisque amicum T. Pomponium, ad quem etiam *de vita populi Romani* libros scriptos esse constat. — Rursum et Attici et Ciceronis amicum Cornelium Nepotem historicum sat confidenter illum Nepotem interpretamur, cui inscriptus logistoricus ignoramus quod argumentum tractarit. — Eiusdem generis quae restant nomina, eorum Calenus quoque ipsa vitae consuetudine officiorumque coniunctione, nisi fallimur, cum Varrone continebatur. Quem facile quispiam coniiciat Q. Fufium Calenum esse, tribunum a. 692, cuius frequens apud Ciceronem mentio: propterea quidem quod *ad Fufium epistula* Varronis memoratur Nonio p. 117 *).

*) Commemoratus ibi *Quintipor Clodianus* malus poeta, de quo dictum Parerg. praef p. XII. qui potuerit post Popmam Orellio Onom. Tull. II, p. 504 et Meyero in Cic. Brut. p. 193 videri Cn. Cornelius Lentulus Clodianus esse, non expedimus. Sed aequalem Varronis fuisse veri sane est simile.

144. 425. Sed tamen magis etiam in promptu est de C. Subernio Caleno cogitare, quem una cum Varrone, Pompeianas partes secuto, in Hispaniam (a. 704) profectum esse Cicero scribit ad famil. IX, 13. Ad eundemque Calenum recte, ut arbitramur, Schneiderus l. ss. p. 235 rettulit Appiani de b. civ. IV, 47 verba, quibus Varro, a triumviris a. 710 proscriptus, narratur a Caleno servatus esse, in cuius villa delituisset. — Laterensis etsi fieri potest ut M. Iuventius cogitetur Caesarianus, tamen rectius putabitur longe illo notior M. Iuventius Laterensis praetor a. 702, de quo multus Cicero in Planciana. — Postremo Scaevola vix est in illustrioribus illis Muciis Scaevolis quaerendus natu aliquanto maioribus, sed si quid video Q. Mucius Q. F. Q. N. accipiendus, tribunus a. 699, Q. Ciceronis in Asia provincia comes a. 694, postea augur factus a. 704.

Quodsi in horum quos recensuimus hominum vitas aliquanto diligentius inquisieris quam nobis nunc est concessum pro consilii nostri ratione ipsaque hac scribendi occasione, memorabili documentorum et multitudine et varietate intelliges, quam diversas ipsoque partium studio discretas amicitias per diuturnum vitae cursum Varro coluerit: praesertim ubi eorum nomina addideris, quibus vel ampliores commentarios inscripsit, ut Ciceroni, Pompeio, Caesari, P. Septimio, Marcello, Liboni, Attio (de quo alibi dicetur), vel epistulas misit ut (C. Epidio) Marullo, (Claudio) Neroni, Ser. Sulpicio (Galbae an Rufo?), Fabio (Sangae an Maximo an Vergiliano?). Quod omne quale sit et quam vim habeat ad recte iudicandos Varronis mores et ingenium, non sine fructu quaerere posse videmini, si qui naviter voletis in hanc disputationem incumbere. — Praeterea unum exstat in librorum indicibus Varronianorum nomen Romani hominis, idque adeo cognomen: *Serranus*, quo non dubitandum quin C. Atilius Serranus significetur. Sed id tamen et a logistoricorum societate seiungendum esse et de satira potius interpretandum, cum gemina inscriptio Graeca argumento est περὶ ἀρχαιρεσιῶν, tum numerorum in duobus fragmentis vestigia, apud Nonium p. 259: *ét petere imperiúm populi ét contèndere honóres*: ibidemque p. 455: *rostrum prótrudendo incèsserent* (sic enim cum Iunio scribendum videtur), quibus exitus fit sive senarii sive trochaici septenarii.

Tempora si lustramus eorum hominum, quibus logistoricos inscriptos deprehendimus, proximo in utramque partem intervallo ab ipso anno 700 plurimas illorum vitas abesse intelligimus: ita tamen ut reliquis logistoricis recentior videatur *Pius* esse, antiquior reliquis *Sisenna*, nisi quidem etiam priori aetati *Gallus Fundanius* tribuendus est propter eam temporum rationem quae intercedere inter soceri et generi vitas consolet.

Quod ad formam attinet commentandi, sermonis i. e. dialogi leve indicium quoddam exstat in Cati fragmento apud Nonium p. 494: *velim mehercules, inquit, ipse usu magno puerilitatis formam audire.* Nimis enim ambigua, quam quibus aliquid in hoc ge-

nere tribuas, haec sunt ex eodem logistorico a Nonio excerpta p. 520: *omnia, inquam, in docendis pueris, quae dempta non prohibent verum bonum fieri, mediocria sunto* (ita enim haec scribenda videntur); et p. 108: *mihi puero modica una fuit tunica et toga, sine fasciis calceamenta, equus sine ephippio, balneum non cottidianum, alveus rarus*; et e Pappo p. 12: *nasturtium nonne vides ab eo dici quod nasum torqueat, vestispicam quod vestem spiciat?* si haec recte ita scripta sunt a Mercero. — — —

*

Haec quidem pridem scripta a nobis, ut in praef. Parerg. p. XXVIII promissis staremus, per aliquot menses in scriniis pernoctaverant, cum nobis allatae sunt Francisci Oehleri cura et cum cura collectae Saturarum Menippearum Varronis reliquiae. Collectae et pro virili parte explanatae: emendatae quidem satis modica ex parte, tam profecto modica, ut operae pretium facturus videatur qui eam provinciam non denuo tantum, sed de integro suscipiat. Nam ut alia silentio praetermittamus, satirarum Varronianarum cum praecipua laus quaedam et singularis gratia in eo consistat, quod mirum in modum eumque valde memorabilem distinctae sunt versuum immistorum varietate: in hoc ipso genere tam se et rudem et negligentem novissimus editor praestitit, ut non modo sescentis exemplis aperta et indubitata carminum vestigia, quae tanquam sua sponte incurrunt in oculos, ipse non deprehenderit, sed aliorum quoque (ut G. Hermanni) felicissimis eisdemque certissimis inventis uti prorsus nescierit, et aurium iudicio hebetissimo et mentis pravissimo. Sed de hoc dicetur alio loco: in praemissa autem commentatione quae p. 58 sqq. de logistoricis Varronis disputavit, iis etsi satis probabiliter ipsam rei materiam congessit (ut pauca sint quae eius diligentiam fugerint), tamen digerendi acre iudicium hic quoque non uno loco desideramus. Et quod summum erat, ut c o g n o m i n i b u s R o m a n o r u m h o m i n u m singulos libros inscriptos esse perspiceretur, id ille quoque non perspexit, sed ab Agamemnonida Oreste appellatum esse *de insania* logistoricum sibi persuasit, *Pappum* autem *aut Indigenam* (sic enim scribendum putat) de Atellanarum persona Pappo interpretatus satiram esse statuit p. 61 et 184. — Ad *Atticum de numeris* (nihil enim ei scrupuli haec inscriptio iniecit), non Augustini tantum locum supra commemoratum rettulit, sed alterum praeterea quendam Rufini, quem illuc non magis pertinere nunc demonstratum est comm. de Varronis Disciplinarum libris p. 33 coll. p. 12 et 30. Eadem ratio Varroniani indicis *de mensuris* apud personatum Boethium: quo nequaquam logistoricum notari, ut illi visum p. 66, ibidem docuimus p. 10. — A *Scauro de scenicis originibus* discrevit ut plane diversos libros *de scenicis originibus*, nihil reputans eorum quae in hac caussa respicienda esse supra significavimus. Corruptam Nonii memoriam *Caei lib. II.* respexit p. 65, temerariae confidentiae laude ma-

ctans divinum Scaligeri ingenium, in similemque adeo nostrae coniecturam incidit, haud paullo tamen operosius *Cati* (immo *Cato*) *de liberis educandis* e proditis litteris efficiens, simul autem alteram emendandi viam quandam commendans, qua ex *Varro caei lib. II.* erui *Varro Prometheo libero* iussit: e quibus ne hoc quidem ei credimus, non *Prometheum liberatum*, sed *liberum* illam fuisse satiram inscriptam (p. 195 sq.). In satiras quoniam forte sumus delati, illud quoque mirari liceat, nec Κυνίστωρ nec Κυνοδιδασκαλικόν satirarum videlicet titulos quicquam dubitationis Oehlero movisse p. 55. 62. 145 coll. p. 12. Non minus mirabilis est quem p. 55 et 194 sq. finxit satirae indicem Πλουτόρινος vel adeo Πλουτορίνος (sic enim priore loco scriptum exstat), factum scilicet a ῥινός: cui nos satirae nomen Πλουτοτορύνη fuisse coniecimus Parerg. I, p. 178. Rectiore idem iudicio statuit de *Serrano* p. 46 sq. 203; item de satira cui nomen *Tanaquil*, quod nomen cum a logistoricis libris segregandum dicit p. 63, magis placet quam ibidem laudibus cumulata Nonii nescio qua diligentia. Proximas pagellas parum eleganter scripti libelli cum oculis lustramus, p. 64 miramur de *ephemeride navali* ita disseri, ut ne Bergkianae quidem disputationis, quae inserta est Musei nostri philologici volumini I, ulla ratio habeatur. Sed p. 66 quod apud Diomedem I, p. 372 exstans *Praetoriana* titulus ad eam satiram refertur quae inscripta erat *Flaxtabulae*, περὶ ἐπαρχιῶν, id non incommode excogitatum est: siquidem ea satira ab ipso argumento (περὶ ἐπαρχιῶν, i. e. praeturis) ducto nomine sic vocari a grammaticis potuit ad earum fabularum similitudinem de quibus exposuimus Parerg. I, p. 142. Quanquam non unam ob caussam perdubia res est.

Verum satis dictum esto de Varrone liberalis salutarisque doctrinae inter Romanos summo lumine ct columine. Cuius cum vobis exemplum proponimus quod intueamini et pro virili parte aemulemini, non eruditionis potius laudem cogitamus, quae in illo tanta fuit ut non possit nisi paucissimos sui similes habere, quam indolis honestatem spectamus bonique et viri et civis officia: quae ille longe luculentissimo documento per diuturnum vitae spatium eo comprobavit, quod ab umbraticae gloriolae vanitate alienissimus ad patriae salutem conservandam instaurandumque Romani nominis splendorem scribendi commentandique operam et studium suum omne contulit. Valete. Scr. Id. Apr. a. CIƆIƆCCCXXXXV.

Gaylord
PAMPHLET BINDER
Syracuse, N. Y.
Stockton, Calif.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
871V5LO.YR C001
DE VARRONIS LOGISTORICIS BONNAE
3 0112 023716050